



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXI. De salario cujusdam defuncti parentis pupillis adhuc  
persolvendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXI.

### *De Salario cuiusdam defuncti parentis pupillis adhuc persolvendo.*

**C**omputatis, & approbatis ab utraque parte usque ad annum 1734. inclusivè rationibus debebat quædam communitas suo Syndico aliquot scaphas frumenti ex anno præteritorum annorum salario. Contigit autem, ut Syndicus anno subsequente statim moreretur: hinc istius pupilli post obitum sui parentis communitati pro solutione adhuc extantis salarii supplicat. Quia autem granarii communitatis præfectus (qui intra hoc tempus ex hac vita pariter decesserat) suis frumenti rationibus omnes solutiones defuncto Syndico annuatim præstandas, ut jam præstitas (prout ejusdem in officio successor affirmat) inseruerat, tunc dubium ortum, utrùm pupillis, & à quo, præensum in

frumento salarium sit persolvendum. Occasione hujus.

Quær. 1. An fides aliqua tutori pupillorum solutionem neganti sit habenda?

Quær. 2. An non illa solutio à præfecto demortuo granarii sit expetenda?

Quær. 3. An nullam culpabilem moram pupilli ob tamdiu omissam debiti petitionem commiserint?

### Synopsis.

#### §. I.

#### Resolvitur primum quæsitum.

I. Solutio debitorum non ipsi creditori sed debitori est per se probanda,

2. So-

2. Solutionem debiti testatur successor defuncti granarii.
3. Ostenditur hujus asserti nullitas.
4. Eò quòd in rationibus nulla mentio de solutione ista fiat.
5. Neque eam factæ solutionis apochæ testentur.
6. Ipse etiam dimensor frumenti, vulgò *Kornstreicher* solutionem testari nequeat.
7. Nec probari possit, solutiones ex aliis, quam huiate, granariis factam fuisse.
8. Neque ullus communitalis officialis se in solutionem consensisse, testari possit.
9. Hinc ob incertam hanc solutionem in possessione sui juris manu tenendi defuncti pupilli erunt.

§. II.

Resolvitur secundum  
quæsitum.

*Num à communitate, vel ipso defuncto granarii præfecto, tanquam negotiorum gestore sit debitum solvendum?*

10. Ad solutionem per se est ob-

ligata ipsa communitas.

11. Nec pupillis est probandū, quòd communitas adhuc obligata maneat.
12. Quia pupillis suæ scaphæ nec dimensæ, nec à reliquo acervo frumenti, ad communitatem spectantis, separatae fuerunt.
13. Ob hujus traditionis defectum pupilli necdum domini alicujus frumenti evaserunt.
14. Defunctus etiam præfectus ex nullo titulo est pupillis obligatus.

§. III.

Resolvitur tertium  
quæsitum.

*Utrum pupilli culpabilem moram ob dilatam solutionis petitionem commiserint?*

15. Responsio est negativa.
16. Eò quòd solutio debiti annò 1736. fuerit expetita.
17. Et perillustri communitatis pro illo tempore Præsidi pro solutione supplicatum fuerit.
18. Neque pupillorum parens

D d 2

cu.

- cujusdam negligentia argui poterit.
19. Nec obest pupillis decretum post obitum defuncti Syndici primum à communitate latum.
20. Affertur adhuc aliqua pupillis favens circumstantia.

## §. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*Utrum defuncti pupillis solutionem negantibus sit fides habenda?*

1 **P**rimò videtur ab omnibus receptum, solutionem debiti certi ipsi debitori probandam esse, non autem creditori: negantis enim factum nulla est directa probatio, sive propositio negativa directè naturaliter probari non potest. *cap. Bonæ. 23. de Electione, & electi potestate.* Inspiciendæ tamen sunt rationes, quæ jam factam solutionem ostendere conantur.

2 Primò enim modernus dominus præfectus granarii informatione supra hanc controversiam facta, testatur, defuncti sui

antecessoris rationibus omnia frumenta, ut jam soluta, fuisse inserta.

Ut hæc ratio solvatur, notanda erit diversitas inter solutiones, quæ usque ad annum 1734. in festo purificatæ inclusivè, quo rationes mutæ inter dominum Syndicum, & defunctum granarium fuerunt institutæ, & ab utroque approbatæ, & quæ postea ab hoc tempore usque ad annum 1740. debuissent fieri, vel factæ fuerunt.

Quod attinet solutiones annum 1734. arcedentes, approbantur illæ ut insertæ rationibus, & fideliter ab oblato per pupillos libello sub litera ff. expressæ, verùm cum in isto libello nec minima mentio de soluto unquam frumento, vulgò *Storn* / fiat; sed expressè dicatur, novem adhuc scaphas frumenti solvendas pupillis esse, hinc istas unà cum subsequenti anni salario sibi restituendas esse jure merito pupilli contendunt, nisi à communitate probetur, ab anno 1734. etiam quasdam, vel omnes penitus frumenti scaphas persolutas fuisse. Quòd usque ad 21. Martii annò 1736, decem scaphæ

tri-

triticum, vulgò *Waizen* sint soluta, habetur in sæpius allegato libello: quia autem in hoc nulla mentio de soluto frumento, vulgò *Korn* est facta, sequitur, quòd nec ullum usque ad annum 1736. pupillis solutum fuerit.

5 Secundò, cum pro singulis solutionibus à creditore domino Syndico, & hujus pupillis apochæ, seu literæ solutionem testantes granario sine dubio fuerint extraditæ, ut hic fidem suis rationibus adstruat, debet ille apochas producere: sola enim annotatio expensæ, enumeratis annis facti, non est sufficiens probatio, cum constet defunctum granarium in administrando suo officio valde infidelem fuisse.

6 Tertio. Cum omne frumentum, & triticum, quod in solutionem salarii officialibus memoratæ communitatis per dimensionem granarii: vulgò *Kornstreicher* prius mensurari soleat, hinc iste interrogandus erit, an & quot scaphæ frumenti ab anno 1734. usque ad præsens tempus pupillis solutum fuerit.

7 Sed dicet aliquis: Cum adhuc plura alia granaria in aliis lo-

cis ad communitatem istam spectantia numerentur, hinc ex istis solutio controversi frumenti fieri potuit, verum cum affirmanti incumbat probatio, nequaquam talis nuda assertio erit sufficiens.

8 Quarto. Cum nulla solutio à Præfecto granarii communitatis officialibus fieri soleat, nisi consensus illius, qui communitati præest, accesserit vel alterius cujusdam præfecti: nullus autem horum asserat, se unquam consensum in solutionem cujusdam frumenti dedisse; iterum patet, ab anno 1734. nihil frumenti solutum fuisse: præsertim cum libellus sub litera II. asserat, solutionem tritici pro año 1734. factam fuisse.

9 Ex hæcenus disputatis, si non omnino certum, saltem probabile est, atque dubium, num prætensa solutio in frumento facta fuerit: consequenter pupilli in suo prætense jure sunt manu tenendi; cum in dubio melior sit conditio possidentis; restat itaque examinandum secundum dubium.

## §. II.

Resolvitur secundum  
Quaeritum.

*Num communitati, aut ipsi granario defuncto residuum assignati debiti sit persolvendum?*

**10** CUM communitas defuncto suo Syndico annuum salarium in variis frumenti speciebus assignaverit, indubitatum est, quod illa per se ad solutionem hujus salarii sit obligata; inspiciendum itaque solummodo erit: an non per accidens ab hoc onere sit eximia, eò quod per negligentiam, incuriam, vel etiam infidelitatem ipsius granarii, asservatum in granario frumentum, nescio, quò distractum fuerit, consequenter portio, quæ tanquam residuum debitum adhuc persolvenda erat, absque omni ipsius communitatis culpa perierit, ex quo videtur sequi, quod debitum residuum à defuncto granario sit expetendum.

**11** In hoc dubio videtur iterum esse certum, nequaquam ipsis

pupillis incumbere on<sup>o</sup> probandi, quòd in his circumstantiis communitas ad solvendum sibi residuum debitum adhuc obligetur, eò quod certus debitor tamdiu maneat obligatus, usque dum probaverit, se à contracta semel obligatione exemptum esse. Inspiciendæ itaque rationes, ob quas communitas videatur exempta esse: cui certò non favet Lex: *Procuratorem s. §. Si tutores. ff. Mandati. Si quis, quod ipse facere tenetur, alteri committat faciendum, ejus negligentia, seu omisio, non excusat mandantem.* Item juxta legem *1. ff. de publicanis: tenetur dominus ex facto illorum, quorum operis utitur.*

Primum itaque fundamentum<sup>12</sup> potest esse, quòd frumentum in granario depositum, & ex quo solutio erat præstanda, defuncti præfecti culpâ perierit.

Ad hoc fundamentum respon-<sup>13</sup>detur: periculum hujus deperditi frumenti, scilicet novem scapharum frumenti, pupillis debiti, nequaquam ad istos pertinuisse, cum omni in granario asservati frumenti acervus sub dominio communitatis adhuc fuerit: ergo cum quælibet res pere-  
at

at domino suo, etiam hoc frumentum perit communitati, non autem pupillis, antecedens constat, quia residuum debiti frumenti necdum istis extraditum fuerat, eò quòd nondum ipsis dimensum, & à communi tritici acervo separatum fuerit, quæ autem per mensuram alienari, vel vendi solent, tunc primum censentur tradita, quando dimensa creditoribus fuerint; ergo periculum, & jactura istius frumenti spectat ad communitatem, cum juxta dicta quælibet res pereat domino suo.

Confirmatur: juxta legem: quòd saepe 35. §. in his. 5. ff. de contrahenda emptione: res venditæ ad mensuram censentur traditæ cum hac conditione: si dimensio fiat; sed idem de debitis in mensura tenendum.

123 Si autem residuum debitum pupillis necdum extraditum est, tunc neque illius domini evaserunt, juxta legem: Traditionibus. 2. Codice. de pactis: ibi traditionibus, & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.

Quod confirmatur à pari: si aliquis debitor solutionem sui debiti per internuncium aliquè,

à creditore non approbatum, vel constigutum, creditori transmittat; ipsius autem internuncii incuria, vel infidelitate solutio creditori non fuerit extradita, à solutione talis debiti nequaquam ipse debitor exemptus erit.

Unum adhuc fundamentum<sup>14</sup> excusans communitatem erit examinandum: ipse scilicet granarii defunctus præfectus, tanquam negotiorum gestor ob malam sui officii administrationem ad solutionem pupillis præstandam ab istis conveniendus erit.

Sed respondere pupillis defunctus granarius poterit: ergo neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione aliquid vobis restituere debeo, non ex re accepta: etsi enim, uti præsumitur, ex mea culpa frumentum hoc à me detineretur, quia tamen illud necdum fuerat vestrum, neque, vobis traditum, aut à cumulo reliqui frumenti ad communitatem spectantis separatum fuerat; hinc ex isto non potest inferri, quòd ego vestrum frumentum apud me detineam, & propterea ad hoc vobis extradendum, si ex re accepta obligatus. Æ-

Æquè parùm ex injusta acceptione (pergit granarius) vobis sum obligatus. Non ex eo, quòd debitum vestrum vestro parenti, & vobis pupillis frumentum abstulerim, & hinc vos damnificaverim, cùm hoc ob defectum dimensionis nondum fuerit vestrum: consequenter pupilli à me nihil poterunt exigere, sed solutio à communitate præstanda erit.

## §. III.

## Resolvitur tertium

## Quæsitum.

*Utrum pupilli culpabilem moram ob dilatatam solutionis petitionem commiserint?*

**15** **R**esponso est negativa. Nam quando solutioni in contractu certus dies est assignatus, isto debitor solutionem facere tenetur, quamvis à creditore ad solutionem non urgeatur, quia dies interpellat pro homine. *cap. finali. de locat. & conduct. Lege. magnam. 12. Codice de contrahendis, & committ. stipulationibus*: quòd si creditor non interpellat, hoc est, non urgeat solutionem, tunc

juxta Patrem Melchiorum Friderich, *de emptione ac venditione. n. 692.* debitor non constituitur in mora, sed potest differre solutionem, usque dum exigatur; uti colligitur à contrario sensu citatæ legis *magnam*: & traditur à Bartolo, & Baldo cum communi. Ratio istorum est, quia cùm creditor debitum, cùm facile posset, non exigit, censetur debitori ultro moram solvendi, non autem donandi, concedere.

Præterea negabunt pupilli <sup>16</sup> suppositum, quòd solutio residui debiti à tempore defuncti sui parentis nunquam petita fuerit. Libellus enim sæpius, allegatus sub litera ff. expressè habet, quòd post mortem parentis a<sup>no</sup> 1736. 21. Martii expetitæ, & acceptæ à communitate fuerint sex scaphæ tritici, quod pars residui debiti fuerat.

Item supplex libellus à pupillis <sup>17</sup> communitati anno 1740. mense Decembri oblatus meminit, quòd post obitum defuncti granarii pupillorum tutor, tunc temporis perillustri capiti ac Præsidi communitatis sæpius supplicaverit pro solutione residui ad-



adhuc debiti: nullum autem aliud responsum obtinuerit, quàm ut pupilli patientiam interea haberent, usque dum granarii relicta documenta reuista, atque examinata fuerint, insuper constituerit, quænam solutiones in debito pupillis frumento usque huc factæ fuerint.

18 Urgebis. Licet pupilli nõ fuissent in mora aduehendi frumentum, fuit tamen illorum defunctus parens, potuisset enim non requisito consensu communitatis à granario expetere, præsertim postquam à quodam communitatis membro intellexerat, granarium non immerito ob infidelitatem in suo officio suspectum esse, & ipse subjunxerit, se jam sæpius granarium, ut secum rationes soliti sibi frumenti iniret, sine omni tamen effectu urfisse: ergo debuisset sibi prospicere, & communitati, ut granarium ad salarium sibi solvendum urgeret, supplicare: ergo huic suæ negligentiae defectum salarii extantis ascribat.

Sed respondetur ad hoc: cum etiam pluribus illius communitatis membris, juxta propriam illorum assertionem, fidelitas sui

granarii suspecta fuerit, hinc debuissent illi magis invigilare suo granario, rationes expensi & accepti expetere; illorum enim res agebatur, eò quòd omne frumentum adhuc ad illos spectaret. Quòd Syndicum attinet, non defuit ille sibi prospicere, cum tamdiu granarium urserit, usque dum secum rationes sibi redditi, & adhuc reddendi frumenti consignarit.

Adhuc tamen pupillorum Ju-19 ri videtur obstare decretum, quo communitas prælaudata statuit, se nequaquam in se recepturam periculũ salarii frumentarii, si hoc debito & determinato tẽpore ab officialibus communitatis postulatum, & auctum non fuerit: hoc facere quia omiserunt pupilli, suæ negligentiae, atque commissæ in hac moræ sui salarii iacturam imputent.

Sed contra est: ut hoc statutum pupillos obliget, iis que noceat, debuit illud fuisse iisdem intimatum, & probatum, quòd decretum istud jam pridem, & non tantum modernis diebus statutum fuerit.

Ulteriùs notandum, quòd hoc 20 frumentarium salarium, ut ha-

E e

betur

betur in libello rationum, non fuerit determinatè assignatum, ut solvendum ex huiusmodi granario; quòd ista solutio peti possit tum ex isto, tum ex aliis ad communiter pertinentibus granariis; atque reliquorum granariorum frumenta adhuc restant: ergo ex illis salarium peti poterit: ut enim bene advertit Pater Melchior Friderich, de emptione & venditione: quando res indeterminata juxta conventionem sumi debet ex aliqua determinata collectione: v. g. tres modii ex hoc acervo tritici, vel ex tribus granariis, & tota ista

collectio non perit, sed aliquid ex eo residuum mansit, quòd creditori tradi possit; istud eisdem tradendum erit, quia creditor sibi comparavit jus non tantum ad frumentum in huiusmodi determinato granario asseratum, sed in omnibus ad communiter spectantibus.

Omnes itaque in utramque partem allatis, atque examinatis rationibus, salvo meliore iudicio, pupilli justè exigere residuum adhuc, & defuncto suo parenti necdum adhuc persolutum frumentum poterunt.



## Casus XXII.

### *De jejuniis ex voto.*

**C**Ajus obligatur ex voto ad jejunandum die Mercurii, prima vice sive culpabiliter sive inculpabiliter, comederat carnes: memor sui voti etiam secunda & tertia vice eadem die, & quidem distinctis vicibus comedit carnes.

Quæ. Utrum cæteris distinctis vicibus comedens carnes peccaverit?

### Synopsis.

1. In dubio de voti intentione materia rei promissæ consideranda erit.
- 2.